

Letter 55: 24 August 1520, Rome, Peter Gebwiler to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, #56.

Semota mora, ut dudum aliis meis coeperam literis admonere, nec tamen inconsultius, ymmo amicorum omnium suffragio, rogo, oro, detis operam ut possessionem praefecturae assequimini, ne ille se, quod valdissime vereor, possessionem intrudat [?], ac capitulum S. Thomae literis exequutorialibus ad hoc censuris ecclesiasticis impetat. Nec etiam omnino fidendum capitulo, 5 veluti forte D.V. arbitratur, nam ne colludant timeo; sed ut sciatis, temere nil prorsus scribo. Curabitur igitur summopere omnibus posthabitis possessionem apprehendere; scio etenim, si aliter feceritis, capitulum in hoc verba daturum; non ambigo nonnullos ex eodem capitulo pariter praefecturam affectare. Causam super canonicatu committere non consultum, donec certiores facti de possessione¹ praepositurae, ut eidem auditori committatur, sed multo satius in 10 possessionem praepositurae absque lite intrare. Habuerunt adversarii copiam brevis ex Argentina transmissam, et ut arbitror per Vogler, antequam nos quicquam literarum accepissemus, et cetera. Quod de canonicatu seu iure domini Baldazaris praepositi Walt[kirch] scribitis, gratum habeo, quascumque honestas condiciones paciscar. Urgendum tamen esset negotium, ne cum adversario suo conveniret, ut aiunt, et quicquid D.V. fecerit in rem meam semper fecisse arbitror. Si autem 15 in aula Caesaris convenietis, pro me etiam in hoc negotio poteritis opera D. reverendissimi nostri uti, qui eidem D. doctori Baldazari familiarissimus est; pergite igitur et nihil in ingratum contulisse olim plane agnoscetis.

Valete salve. Rome vicesimaquarta Aug. anno M.D.XX.

P.S. Fuit contra D. Io. Reuchlin novissimis diebus sententia et pro Io. Hochstraten fratre 20 ordinis predicatorum lata, super *Speculum Ocul[re]*. Negotium D. Lutheri est vobis ex aliis meis literis satis cognitum, et cetera.

Obsequentissime, P. Gebviler.

¹ Corr.: possessionum.